



EX-LIBRIS



O. E. S. A. = Ordinis Egressus Sancti
Augustini.

J O S E P H I

D U R A M

T H E O L O G I C O N I M B R I C E N S I S

O. E. S. A.

P R O A N N U A S T U D I O R U M

I N S T A U R A T I O N E

O R A T I O

P ERAMBULANTEM me sæpenumero , V I R I
A C A D E M I C I , & antiqua Lusitanorum O p -
p i d a p e r v i s e n t e m , c u m i n s u p e r b a m a i o -
r u m n o s t r o r u m m o n u m e n t a i n c i d i s s e m ,
t e m p l a , t u r r e s , a r c e s , p a l a t i a , m a u s u l e a , m i r u n i ,
q u a n t u s a n i m o d e v e t e r i L u s i t a n o r u m g l o r i a s t u p o r
i n c e s s i t .

Intuebar enim , et cogitatione defixus mirabat
confectas ALPHONSI PRIMI ævo basilicas Olisipone ,
C o n i m b r i c æ , Alcobatiæ maximas & pulcherrimo
artis opere elaboratas : JOANNIS item PRIMI atque
EMMANUELIS MAGNI immensas ad tropæum victoriæ
molitiones ; Cenotaphia Regum sumtu atque arte
miranda : Ut multa quidem atque permagna cum
jaetent Itali vetusta ædificiorum miracula ; maiora
tamen ,

tamen , atque istis fortasse paria non ostendant. (1)

Ergo ne (mecum enim ipse stupens ajebam) ista nostri ? Parva scilicet illa Lusitanorum manus , quæ ALPHONSO Duce , Arabas Lusitanæ ea tempeſtate inquilinos , vel pugnando expulit , vel sub ju- gum missos repressit ; pauci illi , inquam , numero homines , uti armorum laude multum , ita minus (ut arbitrere) artium atque Sapientiæ laude præ- clari , isti scilicet ista ! ista adgrediſſi ſint , delinearint , conſtruxerint ? Altera , puto , illi manu gladium ; ſcal- prum altera molientes , Maurorum hinc acies fre- gerint ; mūrorum hinc pinnas extruixerint .

Quantas illi intra ſeculum arces , oppida , quan- tas potuerint conlapsas urbes reficere ; quantum rei agrariæ ſtudere ; quam aptas lanificii operas ad u- ſum gentis tractare ; quali vero in his omnibus in- duftria , dexteritate , artificio uti conſueverint , id unum argumento fuerit , ſolam ſibi ad tantos ſum- tus LUSITANIAM ſuffeciffe : nullius gentis , nullius exteræ manus ope uam , in ſumma terum omnium copia redundare.

Jam sancta , quæ tum temporis erat , Religio- nis facies ; germana morum ſinceritas , & candor ; veneranda legum majestas abs ipfis REGUM nostro- rum

(1) Nihil hic per hiperbolem dictum : Mediolanensis Basilica maior , Senen- sis , Pirana , aliae , at magni ab architectis ſtant , nihil eis concedit pulcherri- ma illa a Joanne I. B. Virginī pro victoria consecrata . Templum vero Bethle- emiticam Philippus II. Hispaniarum Rex ad oſtium Tagi cum vidisset : nihil , inquit , in Escoriali peregrimus .

rum institutis accipito: Si quando enim ab armis vacare licuit, mos erat (quem morem Principes quoque VIRI ad REGIS exemplum tenueré) inter psalentes monachorum turmas otiali; jus fasque populis perpetuò dicere, ac Viris Consultissimis comitatos universam vicatim Lusitaniam peragrare; siquid seu mali grassaretur, seu boni usquam foret, præmio pœnave adficere; ubique, statim, ac omnibus æqui bónique consulere. Hæc indoles, hæc facies, hæc primæva gentis nostræ lex erat.

Quæ ego quidem cum plurima atque præclarè a nostratis gesta considero; institutionibus ad hæc omnia caruisse homines nostros non adsentior. Fuerint, opus est, artium atque disciplinarum scholæ, Institutores, præcepta. Ecquis enim fecisse eos, quæ nescierint, putet? aut quis tanta existimet, tamque præclara, casu, neque magno artis usu atque institutione constasse?

Qui enim absque mathesi tot moles, tam apte, tam pulchra, tam ad artis amissim compositas extuxissent? Qui vero præter diligens naturæ studium (1) metallurgiam, atque ipsius usum tractassent?

A 2

Minii

(1) Naturæ studium appello non vanas, et ambiguas de Cosmogonia hypotheses; neque Peripateticas illas Arabum subtilitates, quæ ad communes vitæ usus, puta rem agrarium, vestiarium, metallurgicam, architectonicam, nauticam prorsus ineptæ sunt, ac inutiles: ut ut veteres et recentes sistematum fautores de ingeniosis sibi meditamentis plaudant: NATURÆ STUDIUM seu *Physichen* voco theorias in primis Zoologicas, Botanicas, metallurgicas, staticas &c. &c. hidrostaticas, tacticas, alias, quæ juvandis hominibus, et publicæ Rei felicitati inserviant.

Minii , aluminis , goſſipii , orisæ , facchari , & quæ multa nos modo è diſſitis terrarum plagis advehi- mus ; iſtorum illi omnium copiam & ſibi et exteris quî paraſſent ? Paralle enim illos iſta , atque in ſumma rerum omnium ubertate vixiſſe annales tempo- rum illorum tabulæ prodiderunt . (1)

Nec diu iſta privatim . DIONISIO & ELISABETHA Augustis (proh aurea & noſtrorum ſimillima tem- pora !) ab universiſ Regni Ordinibus de PUBLICO INSTITUENDO STUDIO ſupplicatum eſt : quo ſtudio li- citas omnes ſcientias Lufitani homines edoceren- tur . (2)

Proviſum ad Sacerdotii institutionem de Re- gulis Eccleſiae perdiſcendis : ad magiſtratum vero diſciplinam de Patriæ conſuetudinibus , atque Re- gum legibus ad germanum ac Sanctum NATURÆ JUſ expri-

(1) Lufitaniam ab Alphoni I. temporibus ad Emmanuelis magni tempora in his studiis in dies proſeciffe , principio quidem monumenta ipſa teſtantur . Quot enim artes in uſu habuiſſe homines illos oportet , qui parvo numero , ac tempo- re non ſatis longo tot arces , oppida , templa conſtruxerint : tot classes para- rint , tot exercitus ; tot bella aduersus conterminos in Europa et Africa felici- ter inierint ? De Sacchari et Orisæ cultura apud maiores noſtrós teſtatur ex ve- terum documento Bernardus de Brito : de ceteris paſſim alii memorant , e quorum numero legendi omnino ſunt Nunes de Leao in Descriptione Lufitanie- e. 14. Faria et Sousa in Epitome p. 2. c. 1.

(2) Dionisius Rex Lufitanorum potentissimus Conimbricæ primum , poſt hac Oli- ſipone , iterum vero Conimbricæ ſtudia conſtituit . Joannes I. Olisiponem de- nuo migrare fecit . Parabat ea iterum Conimbricæ conſtituere Alphonsus V. quod Optimi Regis decretum non niſi Joanne III. Rege perfectum eſt . Cauſa tot mi- grationum fuerat , ut pro rerum vicibus , inibi ſtudia reſiderent , ubi a tumultu rerum urbanarum studiosi homines longius abſcederent .

(1) exprimendis: tum ad sanitatem quoque hominum contuendam RES PHISICA tractari jussa , quæ ipsa Medica non imprudenter his temporibus putabatur. (2)

Rei Theologicæ S. Dominici , atque Francisci alumnis partes delatæ , monachis recens ab institutione sua sanctissimis. Ii autem formandæ , tuendæ , ac roborandæ inter Lusitanos Fidei curam suscepérant , homines , qui sanctitate morum , simplicitate dogmatum , (3) sublimitate præceptionum ex Antonii Olisiponensis , & Aegidii Visensis disciplina profecerant. Hi quippe Dominicanis & Franciscano-

B rum

- (1) Jurisprudentia tum ad regulas ipsas seu constituta Principum memoriter ediscenda continebatur. Addeabantur glossemata , ea tamen pauca numero et per brevia ad obscuritates , si quæ forent , tollendas. Utinam simplex illa methodus reviviseret , ecquis enim tanta et tot volumina in quæ post modum Jus exercerit vel percurrere queat ? Cum ars longa sit , vita brevis et cet. Jus Civile Romanum vix ea tempestate innotescere apud Italos cooperat. Quamobrem Civilis eorum temporum Jurisprudentia ad præsentim Patrium pertinuit ; quod naturali partim lumine , partim consuetudinibus interpretabantur. Ista qui nossent , Rempublicam gerere , et officia , quæ opus erant , exercere tam probè noverant , quam sanctus æquitas aior et sinceri maiorum nostrorum mores testantur. Profecto nunquam Romana Jurisprudentia castius in moribus Romanorum obtinuit , quam cum minus interpretibus lievit.
- (2) Medici tunc ut plurimum Empirici erant : frequentiùs autem Medicæ arti incubuere sub hæc tempora Hebrei et Arabes ; quod Asiam , et Africam perlustrantes medicinales herbas et id genus medicamina ex oblata occasione noscere , et ad nostrates perducere poterant. Sub Lusitanas autem expeditiones cum Africa , et Oriens nobis patuisset , non difficile et nos species illas medicaminum et cognovimus et ad Europam navigando perduximus. De cetero non spernendi ea tempestate Mediei ex Arabum et Hebreorum numero fuere , qui inter Lusitanos nati , et commorati sunt.
- (3) Theologiam , nondum satis Thomistica et Scotti doctrina sub hæc tempora disfusa , vero similius est Dominicanos ex B. AEgidii Visensis tunc temporis Conimbricæ antecessoris disciplina ; similiter Franciscanos ex primitivis Ordinis alumnis qui apud Italos sub S. Antonii præceptionibus eruditæ fuerant , primævam inter nos disputandi rationem tenuisse : scilicet textum simpliciter ediscere , ubi obscurus esset , breviter exponere , Scripturæ autem præsertim sanctæ vacare.

rum studiis Lusitani & ipsi doctissimi præluxere. Ut videris quali Theologiæ studio, quam pura methodo, quam sanctis Professoribus maiores nostri in doctrina Fidei nutricati sint.

Hic Vos ego, Auditores Optimi, ad ea mecum percurrenda studia, invisenda gimnasia, consulenda oracula, ad sanctam, veram, primævam Lusitanæ institutionis sapientiam inter nostrates restituendam invito. Ingredimini, si lubet, Sanctam Theologiæ Academiam à Viris ductam poenitentiâ, oratione, vigiliis, ut sub initia præsertim fuere, confessis. Putas ne homines in subselliis manibus, pedibusque ferarum in modum bacchantes; putas ne viseris rabido ac spumanti ore, ac tantum non pugnis quotquot proprius aderint, impetentes?

Aut vero sophistarum aulas ingressos ad eorum vos genus introisse creditis, qui adversarii tantum deprimendi impetu, sillogismum intorqueant? Et erit hæc sane Optima disputandi ratio, nisi quod, usu in naturam verso, sine rabie tandem (neicio quo fato) (1) non sonat: aut equidem Probabilistarum
hic

(1) Methodum Sillogisticam, et scholæ subtilitates serius ad nos advectas fuisse postmodum commonstrabitur. Et quidem sillogismo nihil aptius est ad optimam disputationem: sed conjuncta dudum ei fuit vocum ambiguarum usuratio, prurigo item nescio quæ fallendi adversarios et in casses sophismatibus obtentos involvendi; dein contentiosus quidam ardor qui assuetos ad clamores et motus inconditos, et frugi viro incongruos inducit. Quamobrem præferenda, ad tempus saltem, videtur maiorum nostrorum methodus, quam magistra omnes natura didicimus, videlicet obscura singula interrogandi; tum omnium, quæ accepimus, complexione facta, ultimum de re quavis judicium fieri oportet.

hic magistros adesse censem? Ita quippe genus hominum in primis pervicax appellari solet, qui omnia in dubium vertere; qui dubia postmodum proveris accipere; qui nil veri, nil solidi aut meditando querant, aut vero disputando sustineant.

Proh Deus immortalis ! quales Viros , & quam
diversos ab illis ! Quam sanctâ isti pace , quam pio ,
quam intento animi & cordis intuitu in Sacrarum
Scripturarum Oracula , in Patrum ac veterum , non
distortam , non vanam , non ad fucum indoctis fa-
ciendum compositam ; sed sanctam , puram , since-
ram , germanissimam intelligentiam meditantur ! A-
lumnos inspicite , quales sanctorum fuisse oportuit :
quam illi sobrii , modesti ! quanta in mutua inter se
invicem interpellatione gravitas , tranquillitas , pax !
Quam sunt omnes ad id , quod agitur , adtentissimi !
Et Theologia quidem priscis Academiæ temporibus
à reliquis scholis aliis sejunctim habebatur.

En illa alia ad ceteras scientias pertinentia gim-nasia. Rem (1) Grammaticam ad vernaculi idioma-tis emendationem, tum ad correctae latinitatis stu-

B 2 dium

(1) Grammatica quo apud nos loco esset Dionisii temporibus phrasis statutorum Academice manifestat, minime absurdā, et Bernardo de Brito Viro Cl. visa etiam perelegans. Ad Emmanuelis Magni tempora Grammatica usi sumus Itali hominis; tum Stephanus Cavalerius Vir Latini idiomatici callentissimus primus inter Hispanos et Lusitanos Grammaticam edidit luculentam quæ tipis Olisipone edita fuit anno Dñi 1516. Fuit hic Magister Resendii Viri Cl. nec temperare mihi possum quin Epigrammatis praelongi meminerim in calce libri appositi, quod ex tempore ab Emmanuelle Cavalerio recitatum fuisse scribitur. Dignum illud quidem est, quod Naso, si ex tempore recitaret, concineret. Nunc sane vix crediderim tam pulchre et latine aliquem ex tempore dicturum.

dium comparabant. Tum primum Pierides ad Mondæ fluenta cecinere , Giraldius Lusitanæ Poeseos præformator ; (1) Dionysius item Rex mufarum ipse quoque nostrarum prælutor : (2) Nec intacta Hebraici & Arabici sermonis rudimenta fuere ; quod Mauris , & Hebreis edomitæ regionis incolis nedum pulsis , Commercium Lusitanos homines ad vulgata illa idiomata perdiscenda cogebat.

Cogitandi vero artem quâ ratione maiores nostri pertractaverint ; cogitata ipsa nos docent : nihil enim decretis eorum temporum , legibus , constitutis simplicius , nil uberior , nil masculo dicendi vigore castius. Statuta ipsa studiorum ac privilegia , quæ latinitate ab his temporibus donata præ manibus adhuc sunt , quanta sermonis elegantia nitent ! quo sententiarum pondere ! quanta jubendi prudenteria ac majestate concepta ! ut nihil propemodum de meliori in his sæculo desideres.

Porrò ad matthesim quod adtinet , Reges ipsi ac militares Viri profiteri consueverant. Dionysium sane Regem Sapientissimum de Tactice & militari arte non inscitè (ut ea ferebant tempora) perscripsisse cognovimus. Profecto qui , confirmata jam studiorum ratione , consecuti sunt Principes nihil habue-

(1) Dionysium Regem Lusitanæ carmina vernacule scripsisse historiographi nostri testantur.

(2) Erat itidem his temporibus Alphonsus Giraldius poeta non ineptus. Qui Prælium cecinit *do Salado*.

buerunt antiquius , quam ut Rem Mathematicam Regiam in primis sobolem , tum nobilitatem quoque Lusitanam edocerent. Id Joanne Primo Rege , elapsso ab institutione studiorum sesquialtero nedum seculo , in Regiis Lusitaniæ Principibus Eduardo , subinde Rege , Petro , Ferdinando , & Alphonso V. Rege strenuo simul & sapientissimo perspectum est. (1)

Quo vero Te nomine appellem, HENRICE PRINCEPS AMPLISSIME? Tu sacras , & humanas literas impense diligens tuorum tecum subditorum corda ad altiora studia pertraxisti : Tu Regias tibi præstitas Olisipone Ωdes ad habendos publici Studii cœtus donasti: Tu censu ea tempestate amplissimo Theologæ Præceptores auxisti: Tu istum , quem modo de annua studiorum inauguratione conventum agimus , edicto perpetuo convocasti : sed minora illa sunt.

Tu Patriæ vere Parens Regiam Matheſeos societatem , (2) Tu Nauticæ rei ſcholam clarissimam :

C

Tu

(1) Notius est quam ut hic oporteat testes adducere , quanta Lusitanorum Principum post Joannem I. studia fuerint , et quam impigre Mathesi et Nauticæ vacaverint. Illud tamen neutiquam omittendum Alphonsum Quintum de numero stellarum constellationis quæ *Canis* dicitur , docte commentatum esse.

(2) Henricus Visensis Dux et Lusitanæ Insans non sine numine , ut ferunt , cum ad Artrabrum secessisset , Africam Occidentalem lustrari jussit. Societas ad id Lacobrigæ instituta , quæ quamvis ad corrogandas pro sumtu pecunias inita sit ; tamen ad rem istius instituti peragendam Astronomiæ , Cosmographiæ , nauticæ , et Mathesis , ubi oporteret , universæ peritissimos quosque evocavit. Præserat his omnibus Henricus Princeps qui eō , quadraginta annorum studia convertit , Ferdinando item Principe in eandem cum eo spartam intento : atque ut erat Henricus explorandæ rerum naturæ cupidissimus , non parva ei studiorum pars fuit , adlatas in dies novas species observare , et cauſas et effecta p̄scrutari.

Tu quoque primus pulcherrimum naturæ studium, secessu ad Artrabum factò, quasi in totius specula Occeani conlocasti: Ibi vero homines quotquot in Lusitania reperibas ad præclara illa studia dexterim tuis tuorumque sudoribus præformabas. Te auctore, huc illuc ad remotissimas mundi plagas scitissimus quisque pro sphæræ ambitu referando, metiendo, lustrando mittebatur. Quanta scilicet hinc universo terrarum Orbi bona sunt nata! Columnis, Te Duce, Herculeis ad fabulas amandatis, plus ultra Lusitanorum virtus excurrit: disrupta navigacionis repagula: apertæ Orbis in immensum latentis janæ: reclusæ Fortunatarum, ac Hesperidum Beatæ olim creditæ regiones.

Tum quæ prodigia ad Regiam Henricianam Societatem adlata! Insulæ in dies enasci videbantur: Æthiopia Occidentalis universa patuit; auro, gemmis, innumerisque onusta divitiis. Sol ipse ubi altissimus cœlo graditur, consumtis umbris, & æquatis diei noctibus alter mortalibus à noto illo videbatur.

Quot interim & quam celebres Regiæ scientiarum societatis alumni! Perestelleros taceo, Betancurtios, Vaseos, Camaras, Balartios, alios, quorum modo nomina Insularum, regionum, regnumque nominibus commutata; ut Africæ novas adferunt appellationes, ita æternam hominibus gloriam peperere.

Unum

Unum ego præ ceteris fama celebratissimum nominabo VASCUM de Gama : quem Virum Mathematicæ , & Nauticæ peritissimum (Algarbiensi nempe in ora in ipsa Henrici domo adoleverat) (1) quem , inquam , Virum Emmanuel Rex Lusitanæ Potentissimus ad Indicas perlustrandas oras emiserat . Quantus vir ille in Mathesi fuerit , quantus in Nautica ! qui tot sirtes , tot maria , tot emensus pericula dimidium plusquam mundi habuimus , adinvenit. (2)

Erat ea tempestate Regia naturalium scientiarum societas , amissio Henrico Principe , sub Joannis II. Regis Sapientissimi Curis , nihilo quam prius fuerat minus , in Lusitania celebris . Præ erat cætui amplissimo & vere Regio Ortizius Episcopus , membra vero longe celebriora Josephus Medicæ artis Professor , Rutericus , Covillanius , Seco , quorum præsertim opera Astrolabii , jubente , & ad-

C 2

juvan-

(1) Vascus de Gama cum octavum supra vicesimum annum implesset ad tantum opus ab Emmanuelle Rege destinatur anno Dñi 1497. a decessu Henrici Principis 35. Erat Vascus iste Stephani Filius qui Ferdinandi Principis administer fuerat. Ferdinando autem huic eadem cum Henrico domus , eadem studia fuere , quippe quem sibi Henricus adoptaverat. Quare Vascus etsi emortuo jam Henrico natus , domi apud Ferdinandum adoleverat , quæ eadem Henrici domus erat.

(2) Joannes II. Lusitanæ Rex , Henriciana Societate in Regiam translata , Ortizium Episcopum Virum in rebus mathematicis clarissimum cæteris præfecit sociis , quorum si cupis elogia , apud Lusitanam Bibliotecam legas. Porro astrolabii inventus , quo tantum societas illa clarissima immortalis foret , nemo est , qui sociis Lusitanis invideat. Legendus tamen de his Petrus Maffeius Rerum Indicarum lib. 1. pag. 7. antiquioris editionis.

juvante Rege inventum mirabile perfectum est. Emissi homines in Cosmographia peritissimi, qui Assiam (Indiam vero maxime) qui Arabiam, & Aethiopiam terrestri itinere perlustrarent, si quid in naturae thesauris mirum; siquid in populorum sive moribus, sive armis insolens, id vero omne ad Regem, atque Regiam doctissimorum hominum societatem illam referrent. Si quos autem ad nauticam rem institui oportuerat, Henricianis prolusionibus, præclaræ illi nauticæ rei scholæ tradebantur. Quo factum est, ut Viri sequenti ævo clarissimi ad tantum postmodum terrâ marique laudem pervenerint.

Prodiit ex eorum numero immortalis ille Vir (Typhin ego appellem, cuius nomini fors invidit) cuius videlicet navigatione & inventu edocetus Americam aliena laude Columbus invenit. (1) Prodierat ad summam Lusitanorum gloriam Almeida, Pacieus, Albuquerius, Magellanius, Castrius; quorum quidam Vetustæ Henricianæ societatis germina fuere; ceteri vero qui ex eadem profluxerant disciplina. Hi porro quales & quanti in Tactica, Tor-

men-

(1) Vetus et nota historia est Columbum hominem Genuensem ad Insulam *a materia dictam commigrasse*; inibi vero pixides nauticas vel facere vel vendere consueuisse: accessisse autem ad hominem, navarchum (gens. et nomen Columbus reticuit) sibi perfamiliarem qui cum domi apud Columbum decessisset, inventas a se plagas in charta nautica designatas reliquit, quibus usus Columbus Americam detexit. Gomara auctor Hispanus fere Coævus Lusitanum suspicatur fuisse: quod et ego existimo; nec enim alias pateret facile aditus exteris navigiis ad Novam Insulæ Coloniam: quod Lusitani semper vetare ab his exteris consueverint.

mentaria , Nautica , & Cosmographia fuerint , non ego mortales ipsos testes , aut encomiastas quæro . India ipsa loquatur : quod de se Albuquerius Emmanueli olim Regi moribundus rescripsérat.

Classes Turcarum loquantur , quæ gens invicta bello tum temporis habebatur , arte , nedium virtibus tantum , demersæ , devictæ , dissipatæ : Persarum fortissima dudum pectora parvo numero , non parvo tamen militaris scientiæ usu sub jugum missa : loquantur arces tota Asia munitissimæ : propugnacula adamussum mathematicæ artis constructa : loquantur immensa marium , Regnum , Insularum spatiæ per sex ferè leucarum millia ad oram maritimam domita ; tum per vasta mediterranea conlustrata .

Quas vero tum naturæ species , quas divitias , infelix & nugis tunc inhærens Philosophia , quæ spectacula ad futura olim præclara studia comparabat ! Populorum nempe mores , leges , ingenia , consuetudines : animalium quoque , plantarum , mineralium genera , usus , vires , ventorum periodi vicissitudines ; sed & vorticum , sirtium , Euriporum , tempestatumque inauditum antiquis nomen ad Orbis universi institutionem in Lusitanorum chartis descripta sunt .

Viden , quantum paucorum hominum societas potuit , quos non ambitus honorum , non disputandi , atque adversarios deprimendi pruritus : non pingues

gues Sacerdotiorum spes , aut vero expectati Magistratum census amplissimi ; sed publica regni utilitas , sed sancta Patriæ Caritas , atque ditissimus præ divitiarum omnium compendio , scientiarum in se ipsis fructus , pulchritudo , maiestas ; non ad bella , non ad pugnas , ad sectas , rixasque verborum ; sed ad quietam , amicam , sanctam scientiarum societatem ad Artrabri speculam illam continuit.

Inibi vero homines de totius Orbis felicitate benemerentissimi confessus sub Henrico Principe frequentes inire : siquid quisque sive experimento , sive studio explorasset , in commune conferre : tum commissam sibi quisque spartam adornare : Quis quid posset , opportune inquirere ; posthac de adventis apud ceteros in confessu omnes rationem reddere. Quæ cum ego mecum matura meditatione perpendo , Regiarum modo societatum , quæ Parisiis , Londini , Petropoli , Berolini , alibi tanto gentium illarum plausu celebrantur , exemplar in nostris atque prolusionem quandam intueor. Quid enim , cedo , aliud isti , quam quod Regiæ Henricianæ societatis membra fecerunt ?

Fuere qui parem sibi laudem in reliquis etiam studiis promeriti sint ; Theologi ex veteri maiorum nostrorum disciplina egregii Alphonsus Princeps , Portugallius , Paiva , Osorius , Casalius , a Martiribus , Oleaster , Pintus , Osorius alter , plures . Philo-

losophi Ludovicus Princeps , Maria utraque Emma-
nuelis filia , ac neptis , Joannes XXI. Pont. Max.
(olim Petrus Hispanus dictus) ob summam Dialec-
tices celebratissimus : Philologi summis hominibus
componendi Resendius , Statius , Goesius , Menæ-
tius , Vasconcellos : Historiographi Pina , Lopesius ,
Barrius , Nunius , Castanediūs : Poetæ Miranda ,
Bernardius , Camonius , Lopus. Jurisprudentum spe-
cimen esto Patriarum sub Emmanuele Magno le-
gum Codex ; tanto ille æquitatis lumine compara-
tus , ut si gentium aliarum committas legibus , aut
nulla in iis sint , quæ jam nostrates invideant ; aut
plura in nostris , externis etiam invidenda.

Oho Superūm fidem ! quid ego monstri video ?
Ubinam modo hæc omnia ? Quo tam ista repenti-
no turbine diflata sunt ? Quorū tanta hominum
nostrorum celebritas abiit , excessit , aufugit ? Secu-
lo namque xvi. vix dum medium prætergresso , nul-
la optimarum artium ; nulla Matheseos ; investiga-
tionum quoque naturalium nulla , nisi marcida quædam
& intermortua veteris sapientiæ lipsana restabant.

Vertente autem in xvii. ævo tum vero squal-
lere omnia , corrumpi , deturpari : tum vepribus cunc-
ta , atque spinis obsita vastam in arce ipsa bonarum
artium solitudinem minabantur. (1) Ma-

(1) Viros sane doctissimos Academiæ , Joanne III. Rege , præfectos fuisse nemo
nisi effrons inficias erat : Verum Scientiarum methodus simplici qua utebantur
nostrates postponenda fuerat : illa namque eristica et contentiousa disputandi
ratione , tum inutilioribus omissionis questionibus emendatio Scientiarum recens
constat.

Mathesin vix unus alterve ex nova disciplina edocuit : paucissimi autem obscuratam dudum , atque ad militares & nauticos usus minime jam accomodatam dedicere. Disparuit viva illa Philosophia quæ Mathesi ipsi immixta , in conlustrandis toto orbe naturæ miraculis profecerat. (1) Emarcuit nauticæ rei vigor , quo ceteras longe alias gentes præcellimus.

Neque non perstigit in miserrimo ad ea tempora Conimbricensi studio Theologia , Jurisprudentia , & Ars , utcumque , medica ; atque ut sunt Lusitanorum ingenia ad omne disputandi genus acerrima ; perstitere ista quidem non sine magna in eo genere commendatione. Ast quantæ in pertractandis rebus vitiligationes , logomachiae , nugæ ! Vos ipsi nempe (nec est quod ego miseranda ista refricem) vidistis passim , risistis sæpe , persæpius deplorasti. Quorum quidem cum causas memini miserabiles , immane ! quam ego totus in auctores ignesco.

Fuerant octo abinde seculis Parisienses in Gallia scholæ , fama quidem apud mortales vulgo laudissimæ. Laudabant tamen qui eodem , quo homines malo laborabant. His vero hæc ratio studiorum

(1) Mathesis et Philosophia naturalis Viros doctissimos antecessores habuit ; sed ad usum Scientiarum illarum non perinde opportunos. Hujusmodi quippe studia si a Viris militaribus , vel ab iis , qui nauticæ et naturæ in locis ipsis observandæ apti sint , removeantur ; omnia ad steriles et jejunas theorias recident. Porro Viri ad sacra destinati , qui hæc tractarent ?

rum fuit : Theologiam primum & Jurisprudentiam subtilibus in dies quæstionibus replere : Scripturam , PP. & Concilia ambiguis & ad omnia paratis vocabulis interpretari , etsi quidem adversarentur , eludere : Philosophia , & Medica ineptire ejusmodi amphibologiis assuetæ , nulli fere usui erant. Unum ceteris exemplar esto dissidium adversus Petrum Ramum subortum de Logicæ definitione , quod interpellata etiam Senatus Regii auctoritate , non nisi miselli illius sanguine conquievit. Næ : ferox nimis sillogismi furor ! Atque hæc pestis Salmanticam , Patavium , Bononiam , atque Academias ea tempestate plures infecerat.

Nos vero homines ad ea usque tempora felicissimi nugas illas nugarum sapientissima inscitiam nescivimus , Realium , Nominalium , Integralium , Formalistarum pugnas , rixas , logomachias tanto scholarum pulvere , ac partium æstu nihil , nisi æternam mentibus confusionem adflantes. Nos , inquam , terque ; quaterque beati , qui sophismatum regiōnem , veluti Æoliam illam ventorum Patriam fugientes , chimerarum regna nescivimus. Quo enim tempore illi formalitatum umbras , ac præcisionum manes ac lemures insectabantur ; Curæ nos de Occeano perlustrando ; de Cœli metiendo spatio ; de Fide in barbaras ac semotas gentes adferenda , deque patefaciendo hominibus terrarum Orbe distinebant.

Fue-

Fuerunt summo Lusitaniæ malo infani **Consules**, qui **JOANNI TERTIO** Regi piissimo obreperent; atque ut erat ille subditorum gloriæ cupidissimus, hominem ad hæc in Lusitaniam evocanda monstra pellicerent; magnificam porrò spem de erudiendis ea ratione Lusitanorum populis suggerentes.

Missi heu me! at prorsus missi ex Lusitana gente duo supra septuaginta juvenes generosi, (quodque magis dolendum) utilioribus Patriæ studiis detracti, qui Parisiis Philosophiam, Theologiam, & Jurisprudentiam illam Eristicam ediscerent; edoctam vero in Lusitaniam tanti ignaram mali perferrent: qui nos videlicet homines ad ea tempora simplici atque germana Philosophia usos sophistarum Iue illa inficerent, pessundarent, exterminarent.

Tum vero (nefas!) Lusitana gimnasia, antiqua illa & prisci moris methodo abrogata, furere visa sunt. Audire enim fuit domitores illos terrarum, emensores Orbis, cœlestium, quâ late patent, tractuum vestigatores ab usu istorum desinere, & veluti Herculem in Deianiræ, ita eos in sophistices sinnu marcessere: tum summa laterum vi de potentia materiæ, de formarum appetitu, de formis ipsis (an larvis ac spectris?) diu noctuque in Conimbricensi gimnasio disputare. Quid ultra? ii medio tandem elapso seculo fuimus, qui vix antiquæ olim Lusitanorum gloriæ meminerimus.

Evanuit a Theologorum scholis sancta illa, &
maio-

maioribus nostris carissima Scripturarum meditatio : quanto autem Rei Ecclesiasticæ impendio , ii norunt qui ineptas , ne dicam stultas concionum fabulas audierunt. Itum in Patrum sententias a Lombar do collectas ; seu magis obtorto collo ad scientiæ Mediae & Phisicæ Prædeterminationis ambages , quas illi nunquam cogitavere , quanto æstu partium (Deus bone !) pertracti sunt. Periit navigandi ardor , periere Nautica , Tactica , Cosmographica , pulcherrima nostratum studia ; neque aliud nisi putidas illas materias , ac formas ubique evomere discebam us.

At Gallorum natio , quæ tantum in plagas nostras malum emiserat , de emendatione ipsi statim Disciplinarum serio inter se cogitare : (1) Societatem Scientiarum , qualem nos sub Henrico olim Principe inieramus , obire : Mathesin , Nauticen , Commerciis quoque & colendi agri studia celebrare. Amandata e vestigio vanissimarum ex Arabica Disciplina institutionum methodus , vel ad spectaculum & risum in angulo tolerata : Simplex , germana , & publicæ utilitati inserviens studiorum ratio prælata est.

Quanto autem hæc Reipublicæ compendio fa-

(1) Societatum genus duplex : aliae scientiis theoriâ tantum incumbunt ut Regia Parisiensis , Londinensis , aliae : nonnullæ mixtim Commercio et his scientiis (cætu ad id hominum doctissimorum electo , quod consilium societatis appellant) vacare solent , quæ ad commercii , et nauticæ rem faciunt : hæ Hollandis , Danis alij placuere. Henricus ille noster ad artabarum initio prioris generis societatem instituit ; postmodum Iacobrigæ secundi generis aliam.

facta , argumentum hoc esto ; quod , cum hi nos ad hæc fere tempora fuissimus , quales illi olim , a quibus malum accepimus , Galli ; (1) jam modo isti emendato errore tanti sunt , quanti sub primæva illa nostra Disciplinarum sobrietate nos fuimus : videlicet Doctores hominum ; terrarum domitores ; maris Domini , Orbis qua latè patet emensores simul , & arbitri. Adeo verum est imperia nos armis tueri , ærma vero ipsa recte disciplinarum usu moderari : quod si istæ conciderint , non diu tantæ superstes ruinæ summa Reipublicæ constabit.

Arripuere statim præclaram studiorum rationem Angli , Regia societate inita ; imitati Moschi ; æmulatæ omnes propemodum (si nostram demas) nationes. Quod si mirere gentes , dum Lusitana quondam gloria viguit , vix non obscuras ad tantam subito laudem , atque potentiam conscendisse ; id vero omne societas prætulit Scientiarum. Galli , Galli illi olim inani conatu Brasiliam pertentantes , ac parva nostratum manu depulsi , papæ ! quibus illi modo classibus pervagantur maria , atque nova condunt

(1) Dominus de Regio , Vir Gallus , adde Oliveiram quendam Hollandum , gente et fide nostra ejurata (erat enim Lusitania oriundus) Lusitanis quasi mortalium ineptissimis obrectant. At vero meminissent hi vellem , aurea maiorum nostrorum tempora : suorum vero non ita pridem ferrea. Qui enim ea tempestate Angli , Hollandi , Galli , ceteri , si ad maritimæ Potentiae gloriam spectaveris ? Si nos quidem modo inertes : at illi tum inertissimi. Quod si Themistocleum illud verum est (quad verum esse omnes fatentur) tenere eos terram qui mare tenent ; vide quo illi loco erant , quo veteres Lusitani ? Utinam modo iisdem artibus uteremur !

dunt imperia. Condidit , extulit , æquavit cœlo homines scientiarum societas.

Angli quoque , Dani , Gothi suis quondam contenti brumis quanta illi jam navium copia immensam illam Orientis , quam nos edomuimus oram , pernavigant , lustrant , exhauriunt ! Societas hæc omnia scientiarum Anglis , Gothis , Danis concessit . Quid Moschi? gens non ita pridem lapidi , fungove similis ? Unde illi in tantum subito ac tam potens imperium subvehuntur ? Subvexit Petropolitana scientiarum societas.

Nos vero interim excordes ac præteritæ oblitii gloriæ jaceremus , ni JOSEPHI PRIMI Lusitanæ Regis imperiis ad novum antiqui nominis decus , nova studiorum ratione niteremur : nec tamen ei , nisi incipiendi laudem fatum concessit : tanta quippe MARIAE ac PETRO Augustis gloria servabatur.

Hi vero novam studiorum formam institui vix dum cœptam , quanto , Deus immortalis ! subditorum bono , quanto spei publicæ incremento ad summum gloriæ apicem evehere meditamus ! Hi Matheeos , Philosophiæque alumnos beneficiis vere Regiis confoventes , vestrum omnium , adolescentes Optimi , ardorem , atque ingenium ad utilissima regno studia promovent , pelliciunt , nutricantur. Horum videlicet beneficio schola Olisipone nautica renata est , quibus postliminio studiis ad antiquam navigandi gloriam revehamur. Hi novum Lusitanæ Co-

Codicem molientes , summam Jurisprudentiæ arcem tenere vos monent.

Unum est atque id benefactorum erga Patriam, erga Conimbricensem Academiam maximum , quod de Piissimorum Principum caritate , atque in viros sapientes amore expectemus ; ut præformatam a JOSEPHO Rege Potentissimo , atque in novis Academiæ decretis (1) institutam , seu restitutam potius Regiam Henricianam societatem scientiarum exequi quantocius jubeant. Postulat Lusitana , imo Universa id Ecclesia quæ duos ei mundos debuit : postulat Orbis ipse terrarum , qui semetipso per eam se maiorem invenit : postulat ipsa nostrum omnium Parens Lusitania , quam , tandiu , quo ad illa heroum societas vixit , vixisse & ipsam in imperio meminimus.

At vero hæc vestrum principio omnium , Adolescentes Optimi , cura esto. Nostis egregiam initio

(1) Josephus I. Lusitaniae Rex Augustus præclararam in Academia Conimbricensi literariam Societatem constituit , statuens Congregationem Praeceptorum Generalem ex Medica , Mathematica , et Philosophica Institutione factum irihas vero munera , et officia societatibus id genus consueta præstare. Vide Academiæ Statuta parte III. Lib. 3. dos Cursos das Sciencias Mathématicas etc. Decreto de S. Magestade na fronte do Livro num. 7.

Hei por bem considerar as ditas tres profissoens de Naturalistas , Medicos , e Mathematicos em huma Congregação Geral , a qual tenha por instituto trabalhar no progresso , adiantamento , e perfeição das mesmas Sciencias DO MODO , COM QUE SE TEM PRATICADO NAS ACADEMIAS MAIS CELEBRES DA EUROPA , melhorando os conhecimentos adquiridos , e adquirindo outros de novo Conforme aos Estatutos que vaõ por mim prescritos na IV. parte.

Quæ pars IV. desideratur et omnium votis a clementia Regum nostrorum promulganda adhuc expectatur.

tio HENRICI; præclaram insuper, quæ modo Parisis viget, Londinensem quoque societatem Regiam privatorum studiis coaluisse: tum Reges Galliarum, Angliæ, ceteros præclara privatorum cœpta regia auctoritate probasse. (1) Nempe his artibus quæ non suæ sunt, sed nostræ jam fuerant, Gallos, Anglos, Danos, reliquos maris Dominos intuemur. Quibus modo classibus operitur mare, quibus modo Thalassarchis tremefiunt terræ, quibus modo imperiis subjiciuntur gentes, Opes hæ nostræ sunt, imperia atque divitiæ, quæ a Parentum nostrorum manibus exciderunt.

Rapuit non vis hostium; sed nostrorum infacia: amisit, non militum, non Ducum infirmitas, sed imprudentia: non homines, non arma, non naves deerant, non ingenita Lusitanorum virtus: mascula illa, atque ad Patriæ utilitatem INSTITUTA, ut olim, corda defecerunt.

Heus, vos generosa Lusitanorum JUVENTUS, vos, inquam, renascentis Lusitanæ spes, renisæque in pedes, atque surgentis e sepulcro Patriæ sustentaculum: PATRIAM, amabo, ipsam intuemini LUSI-

TA-

(1) Academia Linceorum Matheseos et Philosophiae in Urbe a. D. 1603. e quorum Cætu Galileus J. B. Porta, alii.

Regia Academia Parisiensis instituta est anno D. 1656.

Suinfurtensis Societas in Germania a. 1652.

Regia Societas Britanica a. 1660.

Academia del Cimento apud Italos a. D. 1657.

Leopoldina Vindobonæ a. 1697.

Recentiores aliaæ Petropolitana, Holmiae, Berolini, Copenhague, Hispalensis, et hoc 1778. recens Instituta Neapolitana.

TANIAM illam Orbis quondam Domitricem , ac Dominam : nunc vero e profundis , quibus obruebatur , ignorantiae cineribus , pallescenti similem , nec firmo satis vestigio ad vos hucce pergentem . En ipsa protensis ad vos manibus : ad vestrum (infit) adolescentes Optimi , subsidium ægra dudum , & labans adhuc mater accurro . Vos , vos ego appello , inclita veterum Lusitanorum propago , heroum generosa soboles , quos nempe antiquæ meæ quondam virtutis atque potentiae instauratores expecto . Ubinam modo antiquum illud vestrum orbis ac cœli emetendi studium ? Ubinam generosus abnavigandi ardor ?

Num nam & vos Lusitani non estis ? Lusitani ipsi quidem , at pauci numero , inquisis , neque viribus ad tanta impendia comparati . Næ : pauciores forsan , quam qui Alphonso Rege , & Arabas Lusitania pellere , & urbes , ac moles immortalitati condere , & regnum copia rerum omnium ditissimum excitare valuerunt ? Nisi forte a maioribus degeneres , Lusitanorum nomen , non ingenium retinetis . INGENIO quidem (aitis) pares ; at inopes modo , atque omnibus ad heroica illa quondam cœpta imparatissimi . Nunquid vero imparati magis , quam JOANNE PRIMO Rege , cum bello Hispanos , occidione Mauros , terrore cunctos inermes licet , & parva manu perculistis ? Cum , inquam , HENRICO privatis opibus auspice , per immensa pelagi & terrarum spatia vagabamini ?

LUSITANI iidem (sobolem agnosco meam) Vos estis qui orbem terrarum victoriis peragastis; qui virtute, opibus, sapientia mortales in universum omnes in summam vestri admirationem rapueritis: inopes modo, impotes, imparatissimi, sed ab his artibus tantum, quibus illa majores vestri perpetrarunt.

At vero adsunt, qui vobis ea omnia disciplinarum adiumenta parent, ornent, exhibeant, REGES nimirum FIDELISSIMI MARIA & PETRUS AUGUSTI. Adsunt Regiae maiestatis ADMINISTRI, regio & ipsi sanguine, regiis moribus literarum bono invigilantes; alter summo ingenio, labore, studio 30 abhinc annos in rebus Mathematicis contritus: alter a primis statim unguiculis naturae excultor atque observator acerrimus. Adeit Vir Excellentissimus D. D. FRANCISCUS de LEMOS FARIA PEREIRA COUTINHO, Urbis hujusce Designatus Praesul amplissimus; quem Virum de Cœlo in bonum Academiæ lapsum, uti ejus modo Principem, ita jupiter bonarum artium Parentem, Optimarum Fau-torem, omnium vero, si expediatur, Praceptorum habetis uti zelo, ita sapientia laudatissimum.

Tot ergo auxiliis, tot exemplis, ac stimulis incitati quid haeretis? quid moramini, Adolescentes Optimi? antiqua illa demum studia capessite: maiorum vestrorum vestigiis lubenter instate: Solidam inita Philosophiam, quæ colendis agris, quæ ar-

artibus & commercio expoliendis insudet. Nauticen, nostra quondam regna, repetite: Tacticen, Architectonicen, Pirotechnicen mathematicis studiis expolite; istorum vero omnium erudita inter vos vicissim sodalitia conserite. His ego quondam artibus; his Gentes modo aliæ cultiores; his (si sapitis) vos quoque summa omnium laude regnabitis.

CONIMBRICÆ:
Ex Typographia ACADEMICO-REGIA,
 Anno Domini M.DCCLXXVIII.
Cum facultate Regiæ Curiæ Censoriæ.



BRASILIANA DIGITAL

ORIENTAÇÕES PARA O USO

Esta é uma cópia digital de um documento (ou parte dele) que pertence a um dos acervos que participam do projeto BRASILIANA USP. Trata-se de uma referência, a mais fiel possível, a um documento original. Neste sentido, procuramos manter a integridade e a autenticidade da fonte, não realizando alterações no ambiente digital - com exceção de ajustes de cor, contraste e definição.

1. Você apenas deve utilizar esta obra para fins não comerciais. Os livros, textos e imagens que publicamos na Brasiliiana Digital são todos de domínio público, no entanto, é proibido o uso comercial das nossas imagens.

2. Atribuição. Quando utilizar este documento em outro contexto, você deve dar crédito ao autor (ou autores), à Brasiliiana Digital e ao acervo original, da forma como aparece na ficha catalográfica (metadados) do repositório digital. Pedimos que você não republique este conteúdo na rede mundial de computadores (internet) sem a nossa expressa autorização.

3. Direitos do autor. No Brasil, os direitos do autor são regulados pela Lei n.º 9.610, de 19 de Fevereiro de 1998. Os direitos do autor estão também respaldados na Convenção de Berna, de 1971. Sabemos das dificuldades existentes para a verificação se um obra realmente encontra-se em domínio público. Neste sentido, se você acreditar que algum documento publicado na Brasiliiana Digital esteja violando direitos autorais de tradução, versão, exibição, reprodução ou quaisquer outros, solicitamos que nos informe imediatamente (brasiliiana@usp.br).